


lum nutrire, & in longum vitam protrahere, verum humanum corpus ad libitum confirmare, aut ad contrarium immutare posse: totque modis, quot præparari expediret, aut recenti, aut servata viperæ carne.



CUR IN DISVETVDINEM

*abierint vipera superioribus
seculis.*

CAP. XXIX.



Proxime superioribus seculis ea omnium hominum cæcitas erat, & animorum vecordia, ut etiam quæ oculis conspicerentur

& sub aspectum aut intuitum cadere solent, gravissimo cum errore dignoscerent, ad eò à longa illa Gothorum, & barbaricarum gentium in Italianam transmigratio ne subsequuta vasti-

vastitas est. Non solum enim Romani imperii majestas concidit, verum etiam rerum omnium cognitio atque scientia oblitterata deletaque fuit. Pessum bonæ literæ cum egregiis moribus ierunt, & obscura omnia reddita fuere, sublimique de loco projecta, ut pro tanta luce & claritate, nox & cæcitas subsequuta fuerit. Hoc prorsus maxime mirum fuit, ut ea etiam quæ sanitatis tutelam, & dolorum ac morborum propulsationem præstabant, & certissimam vitæ custodiam, artem medicam oblitterarunt, theriacamque medicamentorum omnium præstantissimum antidotum adeò depravarunt, ut ejus formam & compositionem non agnoscerent, & propterea idem proprias vires non retineret; basis enim ejus Vipera est, quæ olim notissima erat, etiam certis & propriis ac internis differentiis per aliquod temporis spatium oblivione rejectis, ad aliud, atque aliud


G serpen-

serpentis genus gravissimo cum errore commutaverint, ita ut divinum illud medicamentum amissis propriis viribus aboluerit, & viperæ virtus incognita jacuerit, nisi Deus Nicolai Leonicensi labore, ac industria virtutéque sublevasset, atque in lucem eduxisset, tam viperam, & medicamenta, quam reliquarum rerum cognitionem, quæ humanæ vitæ conferunt in eisdem planè tenebris, & cæcitate versarentur. Ecce igitur evidens, cur in disuetudinem superiori seculo viperæ abjerint, & vix ab apertis oculis dignoscuntur ob antiquas tenebras, earum tamen integra facultas, & virtus hucusq; latuit. Cæci enim cæcos plerumque gignunt. Nam nonnè Romæ mihi contigit, cum viam & rationem alexiteria adinveniendi, nova & antiqua comprobandi, adeò barbaros ac stupidos invenerim quosdam medicos, ut affirmarent pulverem cocti lateris, si eodem modo viperis porrigeretur eadem

dem enecaturum. Hoc verò ob id propalarunt ut fidem, ac gloriolam auferrent & furriperent, invidiâ hujus inventi, quod experientiâ verum esse comprobatum fuit, illosque mentiri, rumorque invidiæ in auctores reflexit. Ecce igitur quomodo diutius latuerunt, & partim latent hucusque.

DE UNIVERSALI METHODO CURANDORUM VENENORUM
quasi synopsis.

CAP. XXX.

 UM de viperæ curandis ictibus superfit scopus, neque ratio permittat de particulari aliquo venenato affectu pertractare, nisi universali prius breviter curandorum venenorum appendice præmissa,